

Illecebris erat, & grata novitate morandus  
 Spectator, functusque sacris & potus, & exlex.  
 Vide de ortu comœdiæ tragœdiæque fusius disse-  
 rentes Anton. Sebast. Minturnum *de Poëta Lib. III.*  
*p. 252. & 262.* Polyd. Vergilium *de Rerum Inven-*  
*toribus Lib. I. Cap. X.* nec non Gerard. Joan. Vossium  
*Poëtic. Institut. Lib. II. Cap. XII. & XXIII.*

## §. XXII.

Dramatum apud Græcos quatuor erant spe-  
 cies, Tragica, Comica, Satyrica & Mimica. *Tragœdia*  
 (quasi *τράγος ὠδὴ* dicta, quod hirco victori in præ-  
 mium oblato, per eam certarent) negotia gravia,  
 atque illustrium personarum actiones repræsentaba-  
 bat. *Comœdia* (*παρὰ τὰς κώμας καὶ ὠδὴν*, quasi *κωμῳδία*  
 a plerisque deducta, quod per pagos ab agricolis  
 primum ad urbanorum vitia carpenda exercita sit)  
 res viles, privatorumque ac tenuioris conditionis  
 hominum, ut servorum, coquorum & similibus  
 mores exhibebat. In *Satyra* tragici poëtæ non re-  
 ges aut heroes, sed jocandi causa satyros inducebant,  
 quorum lusibus spectatores inter seria delectarentur.  
*Mimi* denique facta & negotia sola, ut ita loqui  
 liceat, gesticulatione exprimebant. Quibus ulti-  
 mis duabus speciebus Romanorum *Attellana* &  
*Planipedia* respondebant, ubi hominum actiones  
 asperioribus verbis, multaque petulantia perstrin-  
 gebantur. Sed ambæ demum, postquam degene-  
 rarunt, ob insolentiam eliminatæ sunt, ac satyra  
 quidem a Lucilio, (qui teste Plinio *in Prefat. Hi-*  
*stor. Natur.* primus styli nasum condidit) versibus

*Dramatum*  
*apud Græ-*  
*cos quatu-*  
*or species.*  
*Satyra.*  
*Tragœdia.*  
*Comœdia.*

*Ars mimi-*  
*rum.*